

venientes percipiunt, et in eorum defectum etiam Parochiani ad Ecclesiæ Parochialis instaurationem cogi poterunt: æquum enim est, ut qui alimenta spiritualia in ea percipiunt, eidem instauratione symbolam conferant. Verùm hac in re, ut alibi notavimus, regius adsensus requiritur. (\*\*). Videsis *Lib. III. Tit. VI. (\*)*

## CAPUT DUODECIMUM.

## DE CONSECRATIONE ECCLESIARUM.

I. In Ecclesia jam constructa, ac dotata sacra celebrare vetitum est, nisi prius consecratio peragatur, quæ vulgo *Dedicatio* dicitur: porrò differt à Consecratione *Dedicatio*; ut enim eruditè observat Cl. Mazochius in *Dedicat. sub Ascia n. 27. et 34. dedicare* tantundem est, quod posterior ætas *encaniare* dixit: *August. in Jo. cap. 48. Regni Neap. idiomate ingegnare*, (\*\*). Hispani autem *estrenar.* (\*) At Consecratio potiùs ad cæremonias pertinet, quibus Tempa consecrantur. Verùm quia utrumque conjunctim perficitur, inde factum est, ut utraque vocabula promiscuè adhibeantur.

II. Ecclesias jam inde ab IV. sæculo consecrari consuevisse, patet ex Eusebio *Lib. X. cap. 3. et ex Athanasio Apol. II. ad Constantium*. Verumtamen ritus non semper iidem fuere. Ex IV. et V. sæculi disciplina vicini Episcopi ad ejusmodi solemnitatem evocati sunt. Quinimmo et hac occasione nonnunquam Synodi celebratæ; ut *Antiochena* an. 341. quæ propterea Synodus in *Encaniis* dicta: tum ab Episcopis, Clero, et populo pro suo quisque munere preces fusæ, Sermones habiti, qua theologici, qua biblici, qua panegyrici, ac demum incruentis sacrificiis, mysticis oblationibus, hymnis, aliisque operibus summa cum hilaritate Dedicationis solemnitas celebrata: Eusebius *Lib. IV. de Vit. Const. cap. 45. (\*\*)* Sic vocati ab Alphonso Magno Episcopi, Oscensis, Legionensis, Asturicensis, Salmaticensis, Cauriensis, Conimbricensis, Lamecensis, Vesensis, Portucalensis, Bracarensis, Tundensis, Auriensis, Iriensis, Luccensis, Britoniensis, Cæsaraugustanus, Ovetensem Ecclesiam cum illius Urbis Episcopo sollempni pompa, et Evangelica habita concione, consecrarunt die 24. Junii an. circit. 873. cui Rex ipse una cum præcipuis Regni Proceribus, et catholica plebe interfuerunt; ac sanctum celebratum est Concilium, in quo inter alia illud maxime constitutum est, ut Ecclesia Ovetensis Metropolis haberetur. Videsis Aguirre *Concil. Tom. IV. pag. 356*. Plures dein Episcoporum conventus habiti sunt Ecclesiarum consecrationis causa, videlicet, Rotensis an. 1022. Pampilonensis an. 1023. Rivipollensis an. 1032. Gerundensis an. 1038. Urgellensis an. 1040. Barcinonensis an. 1058. Helenensis an. 1058. Ne plures. (\*) Martyrum quoque reliquias, ritu saltem Romano, fuisse adhibitas, patet ex Ambrosio *Ep. 54. et ex Paullino Ep. 12.*

III. Ritus jure novo servandi prostant in Pontificali Rom. ex cuius præscripto præcedit jejunium, et vespere coram reliquiis sub altare collocandis canendæ: dein mane Episcopus ter ipsam Ecclesiam exterius circumit, et aqua benedicta adspersit, tum Ecclesiam ingreditur, delineato (\*\*). cum extremitate Baculi in Crucis formam (\*) duplici græco, ac latino in ipso (\*\*). cinere consperso (\*) templi pavimento Alphabeto, ac una quidem in porta, duodecim verò in interioribus parietibus signatis crucibus, iisdemque sacro chrismate linitis, psalmis, hymnis, precibus, aliisque ritibus, Ecclesiam consecrat; tandem Missam celebrat, quæ tamen Consecrationi *essentialis* non est. (\*\*). Dies Dominica uti consecrationi propria, adsignatur à Syn. Cæsaraugust. III. *Can. I.* eo quod eodem ipso die Cleri-

corum inaugurations fieri consueverint; at Innocentius III. *Cap. 2. de Consecr. Eccles. &c.* quibuslibet anni diebus eam fieri permisit. (\*) (1)

IV. Jam verò et Altaria peculiaribus consecranda sunt ritibus, quos vide in Pontif. Rom. *ibid.* Illud hic duntaxat observandum, quòd si plura in una Ecclesia fuerint Altaria, non omnia consecrari oportet, sed tantum majus.

V. Conferenti cæremonias consecrationis Ecclesiæ cum ritibus baptismi patebit illas his respondere: qua de re dedicatio templi materialis spiritualem animæ in baptismo consecrationem repræsentat. Quinimmo uti Baptismum, ita et Ecclesiæ consecrationem iterare vetitum omnino est: *Can. XX. de Consecr. Dist. I.* Adhæc Ecclesiæ, et Altaris consecratio ordini Episcopali ita est addicta, ut simplici Presbytero committi minimè queat: (\*\*). *Syn. Brac. I. Cap. XIX.* alias *Can. XXXVI.* quin et Patres Synodi Hispal. II. *Can. VII.* acriter in Agapium Cordubensem invehuntur, eo quòd Presbyteros ad consecrandas Basilicas frequenter destinasset, eumque licet *venerandissimum*, tamen *Virum Ecclesiasticis disciplinis ignarum* adpellant. (\*)

VI. Quamobrem ubi contingat Ecclesiam pollui per sanguinis, aut seminis humani effusionem, aut per sepulturam pagani, vel excommunicati, tum satis erit illam expiari, sive reconciliari, cadaver effodiendo, eandemque aqua benedicta adspersendo: id quod ab Episcopo omnino præstandum. Porrò quum Ecclesiæ sæpius polluerentur, ac difficile esset easdem per Episcopos reconciliari, præsertim in Diocæsis nimis amplis; hinc mos inductus est, ipsas non consecrari, sed tantum benedici per adspersionem aquæ exorcizatæ, scilicet, ut dein pollutæ possent per simplicem Sacerdotem jussu Episcopi expiari: *Cap. fin. hoc Tit.* Postremo quod ad Altare attinet, licet et illud possit non consecrari, ejus tamen tabella saltem consecrata sit oportet: *Canone XXX. de Consecrat. Dist. I. (2)*

## CAPUT DECIMUS TERTIUS.

## DE PRÆCIPUIS QUIBUSDAM ECCLESIARUM PRÆROGATIVIS, AC SPECIATIM DE JURE ASYLI.

I. Ecclesiæ quippe divino cultui consecratæ ita instructæ, ac ordinatæ sint oportet, ut omnia ad pietatem, et sanctitatem excitent. Et sanè ea semper viguit disciplina, ut Ecclesiæ non nisi ad divina mysteria celebranda, ad Lyturgiam peragendam, ad Episcopos, Clericosque ad Ordines promovendos, ad Synodos, Catecheses, aliasve de rebus sacris conciones ad fideles habendas, aliaque id genus præstanda adhiberentur. Ipsæ Agapæ, quæ Apostolici erant instituti, quòd in intemperantiam degenerassent, vetitæ, aut certe imminutæ fuerunt: *Conc. Laodic. Can. XXVIII.* Tum in Ecclesiis vigilando, et precando pernoctare viris quidem permissum, haud verò fæminis, *eo quod sæpe sub obtentu orationis scelera latenter committant.* *Conc. Illiberit. Canone XXXV.*

II. Quinimmo veteres tanto ipsas *materiales* Ecclesias honore prosequuntur, ut I. Episcopi aliquando potiùs mori, quam illas hæreticis profanandas tradere voluerint: *Ambrosius Ep. 33. al. Lib. II. epist. 14.*

2. Tum Principes, Reges, atque ipsi Imperatores domum Dei ingressuri non

(1) *LL. 12, 13, 14 et 15, tit. 10, part. 1.*

(2) *L. 19 ips. tit. et part.*

modò arma, et custodias foris relinquere, verùm et diadema deponere, ac tesseræ Imperii dimittere consueverint: Chrysost. *Orat. post reditum ab exilio*, Edictum Theodosii *ad calcem Conc. Ephesini*.

3. Fideles ubi in Ecclesiam introirent, manus, et vultum in signum innocentiae, ac puritatis lavare: *supr. Tit. XI. §. XIV.* quin et alicubi calceos detrahere solebant: Cassianus *Instit. Lib. I. cap. 10.*

4. In publicis calamitatibus, ac praesertim in barbarorum invasionibus tantum, tamque tutum perfrugium in Ecclesiarum sanctitate positum credebatur, ut non fideles modo, verum et gentiles aliquando salutis suae ad Ecclesias Christianas confugiendo prospexissent: Aug. *de Civit. Dei, Lib. I. cap. 1.* Satis vulgata est Alarici Regis Gothorum historia, qui urbem Romam jam expugnatam diripere non est adgressus, nisi dato praecipio prius, ut si qui in Sancta loca, praecipueque in Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli basilicas confugissent, hos in primis inviolatos, securosque esse sinerent: Orosius *Lib. VII. cap. 39.* Quid quod ipsi milites non semel quos servare cupiebant, hos ad Ecclesias adducebant, sicque ab ipsorum violentia tutos reddebant? Hieron. *Ep. ad Principiam, Sozom. Lib. IX. cap. 10.*

III. Adhæc deinceps eodem religionis, ac pietatis intuitu omnem actum profanum, ac minus decentem in Ecclesiis exerceri canonicis Sanctionibus interdictum est. Quamobrem (\*\*\*) *quum templa ad hoc fuerint Divino Numini consecrata, ut in eis cultus Deo cum debita veneratione pacificus christiana pietate exhibeatur, ut præclarè Syn. Tolet. an. 1565. Act. II. Ref. cap. 21. (\*)* ab Ecclesiis, eorumque atriis, et cæmeteriis 1. omnis negotiatio, et venditio arcenda: Ecclesia enim *locus est orationis, non negotiationis*, uti loquitur Syn. Trullana *Can. LXXVI. (\*\*)* Negotiationes itidem et nundinas ab Ecclesiis penitus, et cæmeteriis relegandas voluit Syn. Vallis-Olet. *Cap. XVIII.* idque sub excommunicationis pœna. *Sacristæ autem, progreditur, sive Thesaurarii Cathedralium, et Collegiarum, ac Rectores Parochialium Ecclesiarum diligenter attendant, ut negotiatores hujusmodi ab Ecclesiis abjiciant.* Revera Domus Dei, Domus orationis est, non negotiationis; unde Syn. Valent. an. 1565. *Sess. IV. Tit. III. cap. 8. alias 10. præcipit sub excommunicationis pœna, ne in templis, etiam Monasteriis, Reliquiæ Sanctorum extra ipsum Altare educantur in locum, ubi ad questum populo sint propositæ. (\*)*

2. Sæcularia judicia, maximè verò criminalia, quæ cum irrita censenda sunt, tum anathematis pœnam adnexam habent in illos intentatam, qui in Ecclesiis, vel cæmeteriis criminalia judicia exercere præsumserint: *Cap. 5. de Immunitate, (\*\*)* cui consonat Syn. Vallis-Olet. *laud. Cap. XVIII. et Lex I. Tit. XI. Partit. I. (\*)*

3. Societatum Concilia, conciones civiles, publica parlamenta: Conc. Lugdun. *Cap. 2. de Immunit. in VI.*

4. Vana, ac potiori jure profana, et fœda colloquia, ac quælibet confabulationes: *ibid.*

5. Convivia, comœdiæ, ludi theatrales, choreæ, cantus lascivi, et quæcunque alia, quæ vel divinum turbent officium, vel oculos divinæ Majestatis offendant, (\*\*\*) et deambulationes præcipuè dum Missarum sollempnia peraguntur: (\*) Trid. *Sess. XXII. Decr. de observandis, et evitandis in celebr. Miss. (\*\*)* Syn. Valent. *Sess. V. Tit. IV. cap. 5. Compil. Jo. Teres Lib. III. Tit. XXXI. cap. 11. et Syn. Tolet. mox laud. loco, quibus adde Lex. I. Tit. II. Lib. I. Novæ Recop. (\*)*

(\*\*) 6. Demum Imagines ridiculo, superstitioso, et inhonesto habitu, præsertim Deiparæ Virginis, ejusque Divini pueri Jesus, Sanct. Angelorum, S. Mariæ

Magdalenæ, et S. Sebastiani &c. minimè depingendæ, nec in templis publicæ fidelium venerationi exponendæ, neque ullæ unquam sine Ordinarii licentia: Trid. *Sess. XXV. Decr. de Invocat. SS.* Qua de re Syn. Compost. *Ac. II. Decr. 5.* ita constituit: *Sacrarum Imaginum legitimum usum sic Episcopi observari præcipiant, ut ea, quæ in Sacro Tridentino Concilio pie, et sancte præcepta sunt, custodiantur. Quare his tantum velaminum, ac vestium ornatus Imaginibus adponatur, qui ab Episcopo, vel ejus Vicario visus, et adprobatus fuerit. Immo neque absque ipsius Ordinarii licentia miraculorum notæ ad Altare palam adpendæ sunt: Trid. ibid.* Verum hoc desideramus observari. (\*)

## ARTICULUS I.

## DE JURE ASYLI.

IV. Inter præcipuas Ecclesiæ materialis prærogativas illa semper habita est, quæ *sacrum perfrugium, immunitas localis*, et vulgatiore vocabulo *jus Asyli* dici consuevit. Ipsa quidem natura suasit gentibus Templorum reverentiam, cui ipsa Ecclesiarum immunitas innixa est: porrò hujus limites, sive circumscripta confinia pro variis temporum ac locorum *circumstantiis* varia fuere. Eorum verò originem si quæras, ad ipsa Constantini tempora recurrendum est. Quamvis enim prima, quæ hac de re occurrit Imperialis sanctio sit illa Theodosii *Leg. I. Cod. Theod. de His, qui ad Eccles.* tamen quum in hac Imperator, non primo jus Asyli decernat, sed potius modum, et limites ipsi figat; constituit enim, ut si publici debitores ad Ecclesias confugerint, vel indè extrahantur, vel Episcopi, qui eos occultare probantur, pro ipsis debita solvere cogantur: hinc profectò licet deducere, jam antea in Ecclesia jus Asyli viguisse. Et sane ante an. 392. in quod tempus incidit sanctio Theodosiana, perspicuè loquuntur de jure Asyli Naz. *Orat. XX. de laud. Basilii*, et Ambrosius *Ep. 14. alias Lib. I. ep. 14.*

V. Arcadius quidem ab Eutropio Eunuchò sollicitatus legem tulit, Socrate *Lib. VI. cap. 5.* et Sozomeno *Lib. VIII. cap. 7.* memoratam, qua omnem pænè sacri Asyli prærogativam abrogavit: *Leg. IV. Cod. Theod. de His, qui ad Eccles. confug.* unde S. Joannes Chrysostomus gravem in Eutropium habuit orationem. Verùm statim post Arcadii imperium Theodosius Junior sanctionem pertulit, quæ integra græcè, et latinè habetur ad calcem Actorum Concilii Ephesini; eaque piissimus Imperator, et jus Asyli sartum, et tectum conservavit, et securitati ad Ecclesias confugientium adversus impetum extrahentium consuluit, et sanctitatem earundem Ecclesiarum à vesania in eas irruentium vindicavit. Quinimmo perfrugii limites, qui antea fortasse, vel Altaris cancellos, vel duntaxat interiora Ecclesiæ ædificia non excedebant, ad exteriores quoque exedras, uti baptisterium, aream, porticus, balnea, hortulos, tum et ad ædes Episcopi, et Clericorum, aliaque ad ipsam Ecclesiam pertinentia loca ampliavit.

VI. Eandem *materiale* Ecclesiasticam immunitatem magis magisque adauxit Leo Imp. *Leg. VI. Cod. Just. eodem.* Constituit enim lege per omnia loca valitura, debitores æquè publicos, ac privatos, ad Ecclesias confugientes neutiquam prorsus indè extrahendos, pœna capitali his, qui hoc moliri, aut tentare audeant, constituta. Tum nec venerabiles Episcopos, nec religiosos æconomos, ad illorum debita solvenda compelli. Hac profectò lege Theodosianæ sanctionis pars illa revocata est, qua sanciebatur debita ab Episcopis exigere, si publicos debitores fugitivos protegere, et retinere vellent. Verùm Leo ipse, quonam pacto creditorum

conditioni prospiciendum sit, *ibid.* statuit. Porro Justinianus Imperator *Novell. XVII. cap. 7.* tum Theodosianam circa publicos debitores sanctionem renovat, tum homicidis, adulteris, et virginum raptoribus Asyli per fugium denegari jubet; id quod postea Carolus M. ad ceteros, *qui legibus mori debent*, delinquentes extendit: *Lib. I. Capitul. cap. 22.*

VII. Imperialibus sanctionibus plures, ac frequentes jam indè ab V. sæculo accesserunt Rom. Pontificum Decretales, quibus et *materialis* Ecclesiastica immunitas magis firmata est, et in ejusdem violatores spirituales etiam pœnæ sancitæ. Id quod satis sit indicare, ut in jus Neap. hac de re liberius inquirere possimus. (\*\*). Verùm nobis satius visum est antequam hinc abeamus, nonnulla Conciliorum Hisp. decreta, in hujusce capitis argumentum adferre; scilicet Syn. Ilerd. *Can. VIII.* quæ excommunicationis sententiam in Clericum infligit, qui servum ad Ecclesiam confugientem extrahere audeat, vel flagellare. Syn. Tolet. *XII. Can. X.* jubente religiosissimo Rege Ervigio, constituit, ne ullus quemlibet ad Ecclesiam se recipientem, et intra triginta passus ab Ecclesiæ januis persistentem, abstrahere auderet: *Si quis, subjicit, hoc Decretum violare tentaverit, et Ecclesiastica excommunicationi subjaceat, et severitatis Regiæ feriatur sententia.* Syn. Cojac. an. 1050. *Cap. XII.* idem statuit; *sed sublato, ait, mortis periculo, et corporis deturpatione, faciat quod Lex Gothica* (Leg. I. Tit. III. Lib. IX. Fori Judicum) *jubet. Qui aliter foverit, anathema sit, et solvat Episcopo mille solidos* (unumquodque solidum puta: tria regalia, undecim morapetina, et tertia pars alterius morapetini juxta hodiernum computandi modum) *purissimi argenti.* Syn. Vallis-olet. laud. *Cap. XVIII.* præcipit sub excommunicationis pœna, ne quis ad Ecclesiam confugientem aliquo modo deturbare, aut consilium ad id præstare audeat. Salmant. *Cap. VIII.* sub eadem excommunicationis pœna prohibet refugientem ad Ecclesiam ligare, detinere, aut indè extrahere, *nisi publicus latro fuerit, vel notorius depopulator agrorum, aut immunitas Ecclesiæ fuerit fracta.* Consonat Hispal. an. 1512. *Cap. LIII.* Valent. an. 1565. *Sess. V. Tit. IV. cap. 12.* et præf. Compil. Tarracon. *Lib. III. Tit. XXXI. cap. 1. et 2. (\*)*

## ARTICULUS II.

## DE JURE ASYLI EX LEGIBUS NEAPOLITANIS.

VIII. Ac 1. Pactis conventis inter Honorium IV. et Carolum I. Andegavensem *art. 4.* sancitum erat, reos ad Ecclesias confugientes jure Asyli gaudere, nec indè invitos posse extrahi, nisi in casibus à jure permissis. Hujusmodi pacta Ferdinandum I. Aragonium Pragmaticæ II. *de Clerici selvaticis* inserta evulgasse in Diatriba Isagog. jam notavimus. Tum Sixtus V. Bulla *Alias felicitis* Pragm. VII. *de Exulibus* adnexa, Regiis Neap. Regni ministris speciatim indulisit Ecclesias, monasteria, hospitalia, capellas, aliaque sacra loca ingredi ad extrahendum indè banditos, aliosque facinorosos homines. Adhæc idem Pontifex Litteris in forma Brevis ad Jo. de Zunica Pro-regem Neap. datis excommunicationem latæ sententiæ Sedi Apostolicæ reservatam in quoslibet Ecclesiasticos, sæculares, et regulares infixit, *qui banditos, et viarum grassatores in monasteria, domos, Ecclesias, capellas, hospitalia, aut quævis alia loca reciperent, iisve opitularentur, aut victum, aliudve necessarium quomodolibet præstarent.* Videsis Quaranta in *Summa Bullarii verb.* Banditorum fautores.

IX. Jam verò Gregorius XIV. priores R. Pontificum Constitutiones partim

renovans, partim verò temperans jus Asyli tantummodo denegandum sanxit laicis grassatoribus, depopulatoribus agrorum, occidentibus, ac mutilantibus in Ecclesiis, vel cœmeteriis, homicidis æque proditoribus, ac assassinis, reisque hæreseos, aut læsæ Majestatis, data Curiæ Ecclesiasticæ facultate hujusmodi delinquentes ab Ecclesiis extrahendi, et ad Episcopales carceres adducendi; *quos non nisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi vere crimina superius expressa commiserint, Curia traderent Sæculari, censuris, aliisque pœnis in violatores constitutis.*

X. Gregoriana hæc constitutio tum non ubique, tum vel maximè in Regno Neap. evulgata non est; id quod ne in malam partem Romana Curia acciperet, Philippus III. ipsum Gregorium datis Epistolis rogavit: Falletti *Ragionam.* 4. tum et suo hic Pro-regi Comiti Lemosensium rescripsit, veteres jam receptas Regni consuetudines hoc in capite neutiquam immutandas; interea temporis Gregorianæ Constitutionis à Clemente VIII. moderationem postulandam: id quod nec ipse Clemens VIII. nec ejus Successores unquam præstitere. Tantummodo Benedictus XIII. an. 1725. Bulla *Ex quo divina* criminibus à Gregorio XIV. exceptis alia quoque gravia delicta ad censuit: nimirum homicidas voluntarios, falsantes litteras apostolicas, ministros montis pietatis, alteriusve publicæ argentariæ inibi furtum, aut falsi crimen committentes, monetarios, sacri Asyli violatores, ac tandem rapinas in domibus nomine Curia simulato cum homicidio, aut mutilatione agentes; aut caussarum hoc caput spectantium cognitione Episcopis, et Judicibus Ecclesiasticis luculentius adserta.

## ARTICULUS III.

## DE JURE ASYLI EX NOVISSIMO CONCORDATO.

XI. Quamobrem jam indè ab edita Gregoriana Constitutione utramque inter potestatem Ecclesiasticam, et sæcularem quam frequentes exarserunt controversiæ: donec tandem novissima concordatorum lege plura hac de re salubriter pacto fœdere sancita sunt: *Cap. 2. de Immunit. locali.* Quæ tamen ad tria capita reducuntur; nimirum 1. ordo extrahendi reos ab loco immuni, tum et cognoscendi de crimine, exceptum ne illud sit, an non. 2. Criminum exceptorum recensio. 3. Locorum immunitum constitutio.

## ARTICULUS IV.

## ORDO EXTRAHENDI REOS AB LOCO IMMUNI.

XII. Ubi delinquens, qui excepti delicti reus creditur, ab Ecclesia, locove immuni, abstrahendus est, primum laicos ministros, ad quos hoc spectat, ab loci Ordinario veniam petere oportet: mox reo ad laicos carceres adducto, ubi nomine Ecclesiæ, præstito jurejurando, detinendus est, tribunali laico onus incumbit intra quadrimestre Acta, seu, ut ajunt, Processum informativum perficere, eaque ad Curiam Ecclesiasticam transmittere. Tum Episcopo unius duntaxat mensis spatium conceditur ad sententiam proferendam, num reo Asyli beneficium denegandum sit, an non. Porro indicia, quæ vulgò ad torturam dicuntur, legitima sunt caussa, cur delinquens per fugii jure privetur: *n. 1. 2. 3. et 5.*

XIII. Jam verò Episcopo intra mensem hujusmodi sententiam non evulgante, aut adversus Episcopale judicium vel pro jure Asyli decernens Fisco Laico, vel

Asylum denegans Fisco Ecclesiastico reclamante, controversia ad Tribunal Mixtum devolvitur, ad quod utique Fisco recursus conceditur, ut ab ejusdem V. viris, Actis diligenter excussis, ex concordia eorumdem, vel majoris partis consensu sententia proferatur, inquisitum illum *gaudere*, aut *non gaudere beneficio immunitatis Ecclesiasticae*; idque in casu devolutionis, scilicet ubi nullum Episcopus protulerat decretum. In gradu autem recursus ab Episcopi judicio, sancitur vel *esse deferendum recursui per Fiscum laicum petito, ac proinde inquisitum non gaudere*; vel è contrario *non esse deferendum recursui, ac proinde gaudere*. Porro Tribunali Mixto jus est præcipere, vel Acta uti loqui amant, *impinguari*, vel nova Acta confici, ubi hoc expedire videatur: *n. 4. et 7.*

## ARTICULUS V.

## CRIMINUM EXCEPTORUM RECENSIO.

XIV. Crimina excepta quod spectat, jus Asyli denegatur 1. Incendiariis, iis scilicet, qui *dolo malo, et data opera* igne admoto flammis comburendam tradant quaecunque Ecclesiam, locum sacrum, vel religiosum, aut quasvis domos urbanas, vel vicinas, adhæc et tuguria *adinstar domorum constructa*, armenta, greges, vineas, sata, oliveta, silvas, aut quaecunque alia prædia arboribus consita, culta, et fructifera: tum et iis, qui hujusmodi facinorosis hominibus operam, aut consilium suppeditent: *n. 10.*

2. Redimendi artem turpis lucri caussa exercentibus; vulgò dictis *ricattori*; iis scilicet, qui viros, fœminasve vi, aut dolo *de loco ad locum* transferunt, ibique detinent, atque ad sese redimendum cogunt; tum et iis, qui internuntio vel litteris pecuniam à quovis petant, simul homicidium, aut incendium, ni votis satisfaciant intentantes: *n. 11.*

3. Venenariis; iis scilicet, qui venenum scienter dolo malo, et animo nocendi conficiunt, vendunt, aut præbent, licet mors secuta, aut venenum haustum non fuerit: *n. 12.*

4. Proditionem, h. e. Assassinium æque mandantibus, ac exsequentibus; tum et opera, aut consilio hac in re adjuvantibus, quamvis impetitus mortem evaserit; modo tamen deventum fuerit ad actum proximum, hoc est ad contentionem, ita ut infligi vulnus potuerit: *n. 13.*

5. Grassatoribus, viarumque publicarum, aut in viciniis constitutarum latronibus, licet hoc crimen semel commiserint, nec viatorem ulla ratione læserint: *n. 14.*

6. Iis, qui vel clavibus adulterinis, aliisve quibusvis instrumentis, vel ignem admovendo, aut januas frangendo, vel demum per fenestram, tectum, aliudve ostium in domus, officinas, tabernas, cellasve promptuarias irruant, tantumque inde rapiant, unde jure communi, aut municipali capite damnandi sint: *n. 15.*

7. Iis, qui noctu, simulato Curiae nomine, aliove specioso titulo sese Curiae ministros fingentes, in domus sese insinuant, ibique jam introgressi furantur, ac vim domesticis fœminis inferunt: *n. 16.*

8. Alicujus publicæ Argentariæ tabulas, sive syngraphas adulterantibus; aut inde pecuniam in publicæ fidei damnum fictis schedis exigentibus: *n. 17.*

9. Mercatoribus decoctum argentum simulantibus; at vero sua bona cum creditorum fraude occultantibus: *n. 18.*

10. Regii thesauri custodibus, aliisque publicorum ærariorum, et argentariarum præfectis, ministrisque, tum et publicorum montium pietatis cimeliarchis, qui

in pecuniis, pignoribusque suæ fidei concreditis ejusmodi furtum, aut fraudem faciunt, ut inde legitimam pœnam mereantur: *n. 19.*

11. Delicti læsæ majestatis rei, et quidem tum perduellibus, sive in Principem Supremum, communemque Regni ruinam conjurantibus, tum etiam iis, qui in ministros potestater sibimetipsis *immediate* à Supremo Principe collatam administrantes *personalem* faciunt injuriam: *n. 20.*

12. Iis, qui vi ab Ecclesia, locove immuni reos abstrahunt, aut abstrahi jubent: *n. 21.*

13. Iis, qui vi in Ecclesiis, cœmeteriis, aliisve locis immunibus homicidia, membrorum abscissiones, aliudve delictum perpetrant, cui *de jure communi intrat pœna sanguinis, aut treremium*. Tum quoque et iis, qui ex Ecclesiis, aliisve locis immunibus egressi eadem flagitia committunt: *n. 22.*

14. Ii, qui Asyli beneficio semel abutuntur, inde Episcopi jussu abstrahantur, et in aliam Ecclesiam ejusdem auctoritate transferantur; ac simul ipsis indicatur, quod ubi perfrugio iterum abutantur, eodem ex Episcopi sententia prorsus carebunt: *n. 23.* Porro facultatem hujusmodi sententiam dicendi ipsemet Benedictus XIV. Episcopis Regni Neap. impertitus est *litteris encyclicis S. Congr. Immunitatis* datis die 29. Septemb. an. 1742.

XV. Ad Ecclesias, aliave loca immunita confugientes Ordinarii jussu, ac etiam, si opus fuerit, Curiae sæcularis potestate advocata armis exspolientur. Id quod ubi Ordinarius non præstabit, Curiae sæculari jus erit, ministri Ecclesiastici interventione, Ordinarii ejusdem impetrata, aut saltem petita venia, ab confugis arma detrahere; tum arma (quocunque pacto ipsis confuga exuetur) semper ministro sæculari tradenda sunt; qui tamen contestando profitebitur, uti in *Cap. Prælati de Homicidio in VI.* præscribitur: *n. 24.*

XVI. Curia sæcularis haud vetatur in Ecclesia, locove immuni res ablatas, aut contra jura introductas, vulgò *contrabandi*, syngraphas, pecunias, aliudve ibi ab hominibus fraudulentis absconditum perquirere; at verò ministro Ecclesiastico comite, impetrata, aut saltem petita Ordinarii venia. Tum res perquirendo inventæ Curiae sæculari tradantur, quæ tamen cautionem dabit, uti in *Cap. Prælati de Homicidio in VI.*

XVII. Quum verò ex Pactis conventis *ibid. n. 34. et 35.* Constitutiones Gregorii XIV. et Benedicti XIII. tum et Bulla Clementis XII. pro Romana ditione edita, in Regno Neap. quoad ea, quæ iisdem non opponuntur, vim consecutæ sint, hinc hactenus recensitis delictis addes 1. homicidas quoscunque, sive laicos, sive Clericos, iis tantummodo exceptis, qui vel fortuito, vel ad necessariam suimetipsis defensionem hominem occiderint: Ex Constit. Clementis XII. *n. 13.* Tum *ibid.* nati minores viginti annis diserte excipiuntur: attamen in Regno Neap. hujusmodi exceptionem in usu non esse indicant bina Tribunalis Mixti decreta ex ejusdem Tribunalis Actis in Archiv. *n. 14. et 65.* Gagliardus *Instit. Canonic. Lib. IV. Tit. VI. §. 36.*

XVIII. Homicidis quatuor alia enormia crimina ex Const. Gregorii XIV. et Benedicti XIII. ad censenda: nimirum hæretici, litteras apostolicas falsantes, monetarii, agrorum depopulatores.

## ARTICULUS VI.

## LOCORUM IMMUNIORUM CONSTITUTIO.

XIX. Postremo ex iisdem Pactis conventis jus Asyli ablatum est 1. Ecclesiis vicariis, sive ruralibus, tum aliis, in quibus SS. Eucharistiæ Sacramentum non

adservatur, exceptis Parochialibus, aliisque earundem sic dictis *filiabus*, ubi animarum cura exercetur.

2. Privatis Oratoriis, atque etiam Principum Capellis; licet hæc publicarum sacrarum ædium prærogativas habeant. Tum quoque omnibus Capellis arcium, castrorumque clausorum, licet in ipsis SS. Domini Corpus custodiatur.

3. Sacris Turribus ab Ecclesiis, earumque muris disjunctis.

4. Hortis, viridariis, pomariis, aliisque locis ad Ecclesias, aut quasvis *Ædes* religiosas spectantibus, quæ muris non claudantur, neque claustris religioso continentur.

5. Tabernis, Officiis, Domibusque muris Ecclesiarum, Monasteriorum, aut quarumcunque aliarum religiosarum ædium adnexis, licet interius cum iisdem communicent: dummodo tamen ipsas sacrum claustrum non complectatur.

6. Demum Domus, quas Sacerdotes, alique Clerici habitant, licet introitum ex Ecclesia habeant; porro excipiendæ *Ædes* Parochorum, aliorumque Ecclesiæ ministrorum, et custodum, quas tamen ipsimet, et non alii incolant; hæc profecto interius ad Ecclesiam aditum habentes, quamvis et simul aditum ad publicam viam habeant, jure Asyli non carent: *eod. Cap. 2. ab n. 27. ad ult.*

## ARTICULUS VII.

(\*\*) DE JURE ASYLI EX LEGIBUS HISPANIS. (\*)

(\*\*) XX. Hispaniarum Reges, Gotthi præsertim, quorum ea fuit erga Ecclesiam pietas, ut nonnisi in Episcoporum coactis Conventibus suas condere, vel confirmare Leges consueverint, nedum non imminuere, sed et favere etiam multis immunitatem privilegiiis decrevere. Qua de re Sisenandus criminosos se in Ecclesiam recipientes, ab ea extrahere vetuit, eo duntaxat excepto casu, cujus meminit præf. Syn. Cojac. quo reus se vi armata defenderet: *indic. Leg. 1. Fori Judic. Regina Urraca cum filiis, et filiabus, una cum Comitibus, ac pluribus Regni Proceribus subscripserunt Constitutioni de Immunitate edita in Syn. Ovetensi an. 1115. Cap. III. quo sancitum est, ut nullus criminosus intra septuaginta à dextris Ecclesiæ passus persistens, possit extrahi, nisi fuerit *scelus, aut publicus latro, vel proditor* de crimine convictus, sive *palam excommunicatus, aut Monachus, vel Monacha refuga, aut violator Ecclesiæ. Qui vero* (ita progreditur) *adreptus a diabolo, aliquid aliud per vim extraxerit ab Ecclesia, ejusque portibus usque ad duodecim passus in quadruplum reddat. . . aut in Monasterio sit Monachus sub Regula B. Benedicti, aut sit Eremita omnibus diebus vitæ suæ.* Quam quidem Constitutionem confirmarunt dein Alphonsus Castellæ Rex, Alphonsus Portugalliæ Infans, et Alphonsus Aragoniæ Rex, una cum fratre ejus Ranimiro Monacho, pluribusque Regni cum nobilibus, tum ignobilibus; atque etiam observantibus benedictiones, et infringentibus maledictiones adjectæ sunt. Suprascriptam quoque Sisenandi Regis legem confirmavit Alphonsus Sapiens *Leg. XV. Tit. XX. Lib. III. Fori Regii*, et ad universum Regnum extendit *Leg. II. Tit. XI. Part. I.* At serio perpendens, nimia interdum indulgentia augeri crimina, quosdam excipiendos voluit criminosos, scilicet adulteros, violatores virginum, et Principi ad tributorum exactiones obligatos *Leg. fin. Tit. XI. Part. I.* alique alios successu temporum, de quibus infra. (\*)*

(\*\*) XXI. Gregorianam Constitutionem de qua Selvagius in §§. IX. et X. disserit, neque in Hispania fuisse receptam, sed de ea ab eodem Philippo III. supplicatum esse adserit Ramos del Manzano ad *Leg. Juliam, et Pap. Lib. III. Cap.*

*XLIV. n. 6.* licet ipsam Cl. Antonius Augustinus suæ inseruit Collectioni *Tit. de Immunit. Eccles.* Jam verò quum nihil apud ipsum Gregorium, ejusque Successores, profecerint libelli supplices, ad controversias hac in re sedandas; tandem eo deventum est, ut Benedictus XIII. Gregorius XV. Clemens XII. et Benedictus XIV. suas ediderint Constitutiones, pluribus exceptionibus Asyli jus arctatum volentes, de quibus in progressu. (\*)

## ARTICULUS VIII.

(\*\*) DE JURE ASYLI NOVISSIMO IN HISPANIA. (\*)

(\*\*) XXII. Quum pacandis, quæ inter utramque Potestatem crebre excitabantur dissidiis, ininitum esset Concordatum Catholicum Regem inter, et Apostolicam Sedem an. 1737. pluresque dein accesserint R. Pontificum Constitutiones, quibus nonnihil Asyli jus imminutum est, hoc tamen apud Nos hodierno die obtinet; quod quidem tribus iisdem capitibus, quibus Selvagius suum Neap. jus explicuit, et nos Hispanum expendemus. (\*)

## ARTICULUS IX.

(\*\*) ORDO EXTRAHENDI REOS AB LOCO IMMUNI. (\*)

(\*\*) XXIII. Ubi delinquens ad Ecclesiam confugerit, si indicis, quæ ad torturam sufficient, exceptum constet esse crimen, ab ipsa extrahendus est, at non propria iudicis laici auctoritate: Bened. XIV. Const. *Officii Nostri* §. III. et *Lex fin. Tit. II. Lib. I. Novæ Recop.* Ministri, quibus hoc injunctum est officium, petita ab Ordinario licentia, una cum eo, vel persona Ecclesiastica ab ipso deputata, reum ab Ecclesia remouent, Regiis carceribus detrudendum. Dum Ordinarius criminosum ab Ecclesiæ potestate in iudicis laici manus transfert, censuras comminatur ab hoc incurandas, nisi Ecclesiæ reum restituerit, semel ac in causæ progressu, non esse excepti criminis patratorem constiterit Episcopo; cujus quidem est declarare, an delictum jure Asyli potiat, vel non: Benedictus XIV. Const. *Officii Nostri* §. XV. et *Elapso proximo anno* §. IV. Porro si Ordinarius noluerit iudici Sæculari tradere reum, de quo vehementer suspicatur, exceptum perpetrasset crimen, poterit eum iudex Sæcularis, quam minimo educere strepitu, ex *præf. Lege final.* (\*)


(\*\*) XXIV. Si ad Ecclesiam perfugiens hæresis reus existimetur, hæreticæ pravitatis Inquisitor, sine obtenta ab Ordinario licentia ipsum per se ab Ecclesia educere potest S. Tribunalis carceribus detrudendum: tenebitur tamen inquisitor vel ante capturam, vel postea, Episcopo de ea rationem reddere, tum propter reverentiam Episcopalis Dignitatis, tum etiam ut quantum fas sit, Ecclesiasticum jus illæsum servetur: Benedictus XIV. *Elapso proximo anno* §. III. (\*) (1)

## ARTICULUS X.

(\*\*) CRIMINUM EXCEPTORUM RECENSIO. (\*)

(\*\*) XXV. Crimina excepta, quod spectat jure Asyli non gaudeant.

1. Delicti læsæ Majestatis rei: Constit. Gregorii XV. *Quum alias*, et quicum-

(1) In memoria tenæ schedulam regiam Martii die 15 ann. 1787 quæ amplectitur eam materiam, et quod est postrema, altare omnes prætermittendæ sunt, ita ne excipiat lex 6, tit. 4, Lib. 1, Novissim. Recop. in tempora posterior. 

que sacre Regum Majestati lædere tentaverint, aut ad eundem spoliandum aliqua suarum ditiorum parte occultas conflaverint conjurationes: *Concord. an. 1737.*

*Art. I.*

2. Homicidæ, qui animo deliberato, ac præmeditato aliquem interfecerunt: Benedictus XIII. *Constit. Ex quo:* etiam mulieres, nullis obstantibus privilegiis: Benedictus XIV. *Constit. Officii Nostri §. VIII.* Et Ecclesiastici cujuscunque gradus, ac Ordinis; Regulares quoque cujuscunque Ordinis, aut Militiæ, cujuscunque gradus, aut conditionis, et quibuscunque privilegiis non obstantibus, dummodo de commisso crimine à Judice Ecclesiastico cognoscatur, et sententia citra pœnam sanguinis feratur: *ead. Constit. Benedicti XIV. §. VI. et VII.* Demum quicumque homicida cujuscunque sexus, ordinis, aut dignitatis, qui baculo, aut saxo proximum occiderit, ubi ex delicti circumstantiis dignoscatur, actum illum, quamvis in rixa, non casu, aut necessaria defensione, sed ex odio, aut nocendi animo, ac voluntate prodixisse: *ead. Constit. §. IX.* et qui opem, vel auxilium ad id præstiterint, si tantum viginti annorum ætatem expleverint: *Constit. Clementis XII. Alias Nos §. VI.*

3. Assassini, æque mandantes, quamvis mors secuta non sit, ac exsequentes: Benedictus XIII. *ead. Constit. Ex quo,* et Clemens XIII. *mox laud. Constit. ibid.*

4. Qui falso Curia nomine usurpato sese in alienas domos tanquam veri justitiæ ministri insinuant, ibique rapinas committunt, dummodo homicidium, aut mutilatio sequatur: *ead. Constit. Benedicti XIII.*

5. Qui Ecclesiam, vel cœmeterium occisione, vel mutilatione violaverint: *Leg. II. Tit. II. Lib. I. Novæ Recop.* etiamsi intra Ecclesiam, vel cœmeterium existens extra positum interfecerit, vel mutilaverit: *ead. Constit. Benedicti XIII.*

6. Adulteri, ac Raptores Virginum, et qui Principi ad tributa solvenda obligati sunt: *Lege finali Tit. XI. Partit. I.*

7. Falsarii litterarum Apostolicarum, ministri Montium Pietatis, vel alterius publici Telonii, aut Banci furta, et fraudes in prædictis locis committentes, cujus caussa pœnæ ordinariæ locus sit; ac adulterantes, et tondentes monetas aureas, vel argenteas, vel eas scienter expedentes: *ead. Constit. Benedicti XIII.*

8. Grassatores, prædonesque viarum: *Constit. Gregorii XV. et præf. Leg. III. Tit. II. Lib. I. Novæ Recop.* etiam propter unicam, et simplicem grassationem, dum tamen mors, aut mutilatio ejus, cui vis illata est subsequatur: *Concord. an. 1737. Art. I. et Benedictus XIII. laud. Constit.*

9. Nocturni depopulatores agrorum, qui segetes, vineas, arbores, aut alia quæcunque fructifera abarserint: *Leg. IV. Tit. XI. Partit. I. et laud. Leg. III. Novæ Recop.* imò et publici latrones: *ead. Constit. Gregorii XV.*

10. Hæretici, et potiori jure Apostatæ à Religione: *ead. Constit. Gregorii XV.*

11. Qui ab Ecclesia reos extrahunt, vel extrahi jubent: *ead. Constit. Benedicti XIII.*

12. Debitores, qui præstita à Judice sæculari cautione de non imponenda eis pœna corporali ab Ecclesia dimoveri, et in carcerem detrudi possunt: *Leg. XIII. Tit. II. Lib. I. Novæ Recop.*

13. Milites ab exercitu subterfugientes, qui eadem præstita cautione jurata, extrahendi sunt: *Decr. Reg. 2. Martii an. 1708. in Adnotat. 2. ad Sanct. un. Tit. II. Lib. I. vulgò Autos Acordados. (\*)*

(\*\*) XXVI. Regiis etiam Ministris Ecclesias, Hospitalia, Monasteria, et alia quæcunque loca à sæculari jurisdictione exempta adire licet, ibique res contra jus Regium clam inductas, vulgò *de contrabando*, perquirere, adsociatis tamen ipso Provisori, seu Vicario Generali, vel Foraneo Episcopi, qui per se requisitionem in

Monasteriis Monialium facere tenentur, licet ad alias quaslibet Ecclesias lustrandas quæcunque Ecclesiasticam personam eligere possint. Fraudulenti homines, vulgò *Contrabandistas*, cum armis ad Ecclesias confugientes, statim debent armis ipsis exspoliari, et penes personam à Judice Ecclesiastico deputatam, deponi. Sic indulisit Nuntius Apostolicus Henricus Henriquez Ministris Reg. Patrimonii die 6. Mart. an. 1749. (\*)

## ARTICULUS XI.

(\*\*) LOCORUM IMMUNITUM CONSTITUTIO. (\*)

(\*\*) XXVII. Quum nimium quondam locorum immunitum numerus exerevisset, paucique invenirentur improbi homines, quibus facilis ad Asyli per fugium via non pateret, in grave publicæ tranquillitatis nocumentum, hinc Concordati lege an. 1737. *Art. III.* visum fuit Immunitatem adimere Eremitoriis, iisque Ruralibus Ecclesiis, in quibus raro per annum Res Divina peragi solebat. At quum experientia compertum sit, comprimendæ perditissimorum hominum audaciæ, moderationem hanc adhuc non sufficere, Clemens XIV. ad petitionem Caroli III. ad unam in unoquoque Loco, vel summum duas secundum eorum frequentiam, ab Ordinario deputandas, Asylum præstringit; *Constit. data 12. Sept. an. 1772.* Hinc Martiti, quæ populosissima civitas est, binæ constitutæ sunt Ecclesiæ, scilicet, Parochialis S. Sebastiani, et *Filialis S. Ginesii M.* quæ titulum præfert S. Ludovici Episcopi. (\*) (1)

(\*\*) XXVIII. Verùm oportet ut eriminosi, qui sese in Ecclesiam receperunt, *honeste, et decenter se gerant, nec ullo modo ludant, nec familiaritatem habeant cum suis uxoris, vel aliis intus Ecclesiam, nec adstent in januis Ecclesiarum, nec in cœmeteriis jocando, vel cytharas pulsando, nec utendo aliis colloquiis otiosis, sed solitarie vivant, et tanquam personæ, quæ erraverunt, et cum omnimoda humilitate, et honestate.* *Synod. Hispalens. an. 1512. Capit. XXXIX. (\*)*

## CAPUT DECIMUS QUARTUS.

### DE SEPULTURIS.

I. Loca sepeliendis Christianorum cadaveribus destinata jam indè ab antiquis Ecclesiæ temporibus *Cœmeteria* dicta sunt; quòd illie deposita fidelium corpora, quasi ad dormiendum jacere existimarentur, donec Christo adveniente resurgerent: *Apost. I. ad Thess. IV. v. 12. Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus:* in quæ S. Hieron. *eos dormientes, inquit, adpellari, quia certum est eos resurcturos.*

II. Jam verò loca hæc sepulturis destinata antiquitus haud quidem in civitatibus, vel in oppidis; at verò extra mœnia in viis publicis fuisse posita, tum ex Romanis constat Cœmeteriis, quorum circiter quadraginta tria recenset Baronius, cuncta in Romæ suburbanis ex æquo constituta: ex Neapolitanis etiam, quæ tanquam Romanis nobiliora, et spatiosiora summopere commendant Gilbertus Burnet *Ep. 4.* et Mabillonius, *Mus. Ital. Tom. I. pag. 14.* quæque et ipsa extra

(1) In urbe Moreliæ, olim Vallisoleti, ab Ilmo. *D. D. Ferdinando de Hoyos* assignatæ fuerunt Ecclesiæ SS. Patriarch. *D. Josephi* et capella hispanicè vocata *de Nuestra Señora de los Urdiales.*